Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 807
Quelle:
Copyright:

bertum pertinere, inter *Hildebertina* edidit *Paris.* 1708. p. 1155. f. merito propterea notatus a *Xysto Schierio* in *Dissert. de Hildeberti Operibus. Vindob.* 1767. p. 46. 4. Melius tamen et nostro correspondens Exemplar nactus est *Beaugendreus.* Nam in *Cap.* 3. Carminis Versus duo vexati:

Hic Deus, hic et homo, duo sunt, unus vero Christus
Alter in alterius personam non male mixtus,

Nobis sic rectius leguntur cum illo:

Nec deus hic, uel homo duo sunt. unus quia christus
Alter in alterius natura non male mixtus (mistus)

Ita enim in Symbolo dicto Athanasii: *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus.* To *mixtus* tamen sano sensu, non pro *confusione* sed *unione* Naturarum accipiendum, atque ita accepit etiam *Ephrem Syrus*, ut pluribus ostendit *J. Sim. Assemanus* T. I. *Bibl. Orient.* p. 80. et 107. C. 9. versus mendosus:

Et quia nostra fides abscessit, prorsus inanem

restituendus e Nostro et Beaugendreo:

Et quia nostra fides rem censet prorsus inanem
In sacra cena sine uino sumere panem &c.

Quo loco necessitatem Calicis credi possit urgere *Petrus*, nisi tota Tractatio manifeste de Sacerdotibus et Sacrificio Missae esset instituta. Sunt et alia loca plura, quae e nostro Exemplo consanari poterunt, quod, ut Editum, finit:

Sicque redemptus abit homo quo suus auctor abiuit.

XX. *fol.* 108. Rursus *Excerpta* e *PP. Conciliis*, *Poenitentialibus*, *Capitularibus*, quin et *Jure Civili*, nullo inter se ordine nexa, nisi quod in seriem *Evangeliorum de Tempore* incidas brevibus glossis illustratorum hoc Titulo: *Euangelicę lectionis hęc denotatur expositio.* Sunt vero numero LIII. neque Series exacta est.

XXI. *fol.* 137. *Successores apostolorum uiri apostolici qui romę sederunt in cathedra beati Petri Apostoli.* Catalogus hic Pontificum a *Petro* pertingit eadem manu